



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXXXVII. de purificat post partum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

coli tanquam Sanctus. In quo Papam errare non posse, est certum de fide, quia procedit ut Caput Ecclesie & Organum Spiritus Sancti.

Beatificatio autem sit tantum permissio quædam ut valeat vocari Sanctus, utque fideles de illo possint officium recitare, aut etiam sacrum facere. Præmittitur tamen etiam in hac processus five informatio cum fiscali. Item n. 3. Testimonium sufficiens ad Canonizandum sunt: Exemplares virtutes, vel miracula, item extases ac revelationes, quamvis valde circumspiciendæ in omnibus sit procedendum. *Extasis* autem propriè est, quando DEUS efficit mentis excessum mediante aliquo ferventissimo amore charitatis, spectat enim extasis magis ad voluntatem. Quod si autem iste excessus fiat mediante aliqua vehementi supernaturali divinorum contemplatione, propriè raptus dicitur, qui magis pertinet ad intellectum. Idem ibid. n. 60.

AD TIT. XXXVII.

De Purificatione post partum.

AN maritus in exigendo, femina in reddendo debito peccet, tempore purificationis post partum, id est illo tempore, quo immunditia & sanguinis profluviis durat? Respondet Franc. de Arauxo *disp. xv. q. 4. n. 22.* Nec lethaliter nec venialiter peccare. Tum quia nulla invenitur prohibitio, nequeratio ulla urget multiplicandi in conjugibus peccata, quibus datum est matrimonium pro remedio concupis-

centiæ, non pro laqueo aut occasione peccandi. Non obstat. *cap. fin. d. 5. dicens: Nisi purificationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri.* Quia vel consilii tantum est, vel intelligesi famina gravis morbus inde immineret probabiliter, & tunc judicanda esset culpa juxta morbi gravitatem, ejusque probabilitatem.

Mulier post partum statim potest ingredi Ecclesiam, nec tenetur abstinere per aliquot dies secundum legem Mosaicam. Gonz. ad cap. un. h. t.

AD TIT. XXXIX.

De immunitate Ecclesiarum, Cœmisterii, & rerum ad eas pertinentium.

AN sit contra immunitatem seu libertatem Ecclesiasticam, si Princeps (sicut fecit Rex Catholicus Matriti & Cordubæ) vendat uni jus locandi & commodandi pro certo tantum pretio paramenta nigra, hastilia, candelabra, & similia pro exequiis defunctorum, cum prohibitione ne ullus possit ea e-locare aut commodare? Franc. de Arauxo *disp. 12. de stat. civ.* Ubi in 4. ait: Libertas Ecclesiastica est naturalis facultas Ecclesie faciendi quidquid jure ac lege non sit prohibitum. Resolvit 1. Talis privilegarius non potest impedire ne Ecclesia sua habeat apparatus & iis ipsa utatur, potest tamen Ecclesias impedire ne aliis locet vel commo- dent pro exequiis alibi celebrandis. Ratio quia per hoc non tollitur aliquid quod esset Ecclesie in sensu formali, vel